



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

XXV. De veritate, ejusque usu. Simplicitas laudatur. Actus fidelitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

amicum videre, justior, fecisse. Qui gratè beneficium accepit, qui libenter & benignè primam ejus pensionem solvit. Nunquam voluit gratus esse, qui beneficium tam longè projecit, ut extra conspectum sit. Qui illud extollit, qui se negat gratiam referre posse, jam reddidit. Qui fastidiosè accipit & negligentè, parvi facere illud videtur. Qui vix indicat se sensisse, vix labia deducit, ingrator est, quàm si taceret. Vir bonus, dum accipit beneficium, de reddendo statim cogitat. Quid enim tam contra officium, quàm non reddere quod acceperis? Nec mensurâ pari, sed uberiori reddendum; sicut terra suscepta semina majori cumulo restituit. Cave tamen, ne in gratiæ relatione nimium festines. Quidam, cum aliquod munusculum missum est illis, aliud subinde intemptivè remittunt, & se nihil debere testantur. Rejiciendi hoc genus est, cum munus munere subito expungis.

C A P U T XXXV.

De Veritate, ejusque usu. Simplicitas laudatur. Actus fidelitatis.

1. **I**N omni sermone, gestu, & scriptura, aliisque signis externis veritas sit. Non deceat Christianum hominem labium mendax. Muliebri vitium & plebejum est, aliud pectore claudere, aliud ore proferre. Vir generosus res simpliciter enuntiat prout sunt: non exaggerat, non amplificat, non decipit, non simulat, verborumque ambages & involucria devitat. Simplicia verba veritas simplex amat. Vult nuda videri; quia innocens est. Qui verò mentitur aut fallit, rem duplici sermone obscurat; ut lateat. Odit lucem qui malè loquitur, sicut qui malè agit. Cave itaque, ne ut vestitum, sic sententiam habeas, aliam domesticam, aliam forensam: ne in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur. Ab hoc vitio abhorret ipsa natura. Pueros vide; nondum ratione utentes. Mendacium inter prima probra obijciunt; & quamvis levitate quâdam assumant, tamen infatigabili iudicii rectitudine damnant. Qua in re Dei providentiam admirari oportet, quæ virtutes animo inserit, sine quibus vita & societas stare non possunt. Omnium autem perniciosissimum est mendacium vitæ. Nam si omnem sermonis falsitatem abominaris, tanquàm sublimi animo

indignam; cur ipse mendacium esse, & vivere non formidas? Magna res est, unum hominem agere.

2. Simplicitas, pagum hominibus cognita virtus, tantæ est dignitatis, ut eâ Deus magno perè delectetur: nam cum simplicibus sermocinatio ejus. Simplex enim ille & integerrimus cum sit, simplices esse vult animas, quæ ad se conveniunt. Est autem simplex, qui in varia non abit; qui sine duplicitate & hypocrisis talem se exterius exhibet, qualis interius est: qui proprios defectus, cum fert occasio, candidè & sincerè fatetur: qui malitiâ parvulus est, & omnem politicam agendi rationem detestatur: qui non exclusâ prudentiæ circumspectione, fidem in omnibus esse arbitratur, malum de nemine suspicatur: qui stultus apud homines videri non refugit, ut sit sapiens apud Deum: qui ab omni multiplicitate alienus, simplici intentione Deo placendi, cuncta operatur. Quid turbaris erga plurima, infelix astutia? Unum est necessarium; ut ad eum pervenias, qui unus & simplicissimus est. Nunquam pertinges ad metam, si duplici gradaris viâ.

3. Fidelitas, inter maximâ & præcipua humani generis bona, colenda est: hac enim sublata tollitur usus commerciorum, dissolvitur amicitia, fœdera dissociantur, universa Respublica perturbatur. Rara tamen & ista est, ac fere mundo incognita virtus. Passim accusant humanam perfidiam tot ad contractus adhibiti testes, tot stipulationum firmamenta, tot interpositæ industria: qui nihilominus vix sufficiunt, ut firma maneant pacta & conventa. Adeo plerique formidati sunt, ut sanctior sit illis quæstus quàm fides. O turpem humano generi publicæ fraudis ac nequitie confessionem! Nemini credimus sine teste, sine sponse: & tutius in tabulis, quam in animi sacrario, fidem custodiri arbitramur. Cæterum vir fidelis quodcumque opus promissum constanter exequitur, comissa sibi secreta nemini pandit, datam fidem etiam hostibus servat, ipsamque regnis ac vitæ præfert. Tardè quidem promittit, quia celeri sponsioni celerem incumbere penitentiam novit: sed si semel spondit, non fallit, non violat, nisi fortè rerum status mutetur, aut peccandi periculum incidat. Neminem obligat promissio, quæ non potest sine scelere adimpleri.